



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

Annalivm Heremi Deiparae Matris Proloqvivm. Ad Avgvstinvm. I. Eivsdem
Loci Abbatem. S. R. I. Principem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



ANNALIVM
HEREMI DEIPARAE
MATRIS
PROLOQVIVM.

AD

AVGVSTINVM. I.
EIVSDEM LOCI

ABBATEM.

S. R. I.

PRINCIPEM.



HEREMI DEIPARAE

MATRIS, cuius, AVGVSTINE
REVERENDISSIME, ET ILLV-
STRISSE, Principatum geris, origi-
nem, & celebritatem, Antistitumque
successionem, & acta, ceteraque ex fre-
quentiâ, & miraculis, rara, & diuina

memoraturu opere pretium erit, si pauca ab initio de Heremi-
tarum instituto, & progressu supra repetam. Nam & anti-
quitatis honos semper valuit, & ex rerum serie, magnitudi-
neque animus excitatior, certiorque, non solum presentibus ob-

A lectatur

lectatur, sed prateritorum recordatione firmior, & exemplis instructior redditur. Simul ex paruis maxima ut excreuerint, illustria ex tenuibus, postremo, dilabente disciplina, & benè conditis exolecentibus, quam succenderant citius ut precipitarint facile cognoscitur, donec ad isthac tempora peruentum est, quibus, veluti penitus omni veteris disciplina, & moris reuerentiâ exterminatâ, atque explosâ, antiquo, & indubitato Numinis cultui, & honori, vanitatis, & superstitionis vocabula indiderunt: pietatis studium, fraudulentiam: religionem, hypocrisin: contemptum mundi postremo, & rerum pereuntium repudium, dementiam, & insaniam per irrisum, & proteruiam, petulantiamq; adpellitauerunt. Ceterum quis post Christum natum solitudini primum honorem addiderit, multi quaesuerunt. Pleriquè Paullum quemdam Aegyptium fuisse volunt, imperantibus Diocletiano, & Maximiano, qui mortis, & suppliciorum metu, per cruentas, & efferas Christiani nominis ab tyrannis suscitatas persecutiones Thebaidis deserta ingressus ex necessitate virtutem, ex assuetudine mox voluptatem genuerit, posterisque exemplum prodiderit. Eum namquè postea plures haut iisdem quisq; de causis per provincias varias imitati, quorum facile principes Antonius, Hilaro, Onuphrius. Sed profecto iam multis ante Christum natum seculis multi sanctitate, & Prophetico spiritu insignes viri Heremos celebrauerunt. Præcipuam vero famam & auctoritatem ijs invexit ultimis prisca legis temporibus, Zacharia pontificis filius Ioannes, quem postea Baptistam ex nouo, & tunc admirabili factò cognominarunt. Postremo, ipso prope tempore, sanctificauit in eam secessu suo, noua legis conditor, & Saluator noster idem Christus IESVS, quadraginta in heremo diebus per ieiunium exactis, & victa inibi, cum totius mundi illecebris, magno, & commemorabili duello, Superbia, & Impietate. Ceterum à principio Heremite Christiani nullacerta norma, aut regula victitabant, quod quisq; DEO auctori, & liberatori maximè gratum, & delectabile rebatur, magisq; procul ab omni mortaliū contagio, ad id incumberebat. Itaque alij speluncis sese includere humana conuersatio-

nis pe-

nis penitus expertes, alij statu erecto, & immobili, tamq̃, celo, non solo adfixi, atatem habere, plures siluis densissimis inter ferarum receptacula, vitam colere, omnes postremo innocentia, precibus, vigilijs, abstinentiâ, jeunijs Conditori suo per placere, & ad perfectionem vitæ, diuersa viâ niti. Hos quia loca, vti diximus, plerumque deserta, sola, & inuiatenebant, Eremitas, & Monachos, siue solitarios, anachoretasq̃, vocabant, quorum vitas, & gesta, miraculaque plures veterum, recentiumq̃, perscripsere. Sed posteaquam Basilius apud Orientem, in Occidente Pater Noster Benedictus dispersos monachos in catus cogere, certisq̃, legibus, veluti bene fundatâ Ciuitate, collectos inter se habere, instruere, firmare ceperunt, incredibile dictu est quantus ad eam vitæ formulam utroq̃, orbe factus sit concursus. Itaque breui Italia, mox Gallia, & Anglia, postremo & Germania, ceteraq̃, prouinciæ Benedictinorum, ita vocabant, qui nostri sancti Patris leges, & decreta susceperant, conuentibus, & collegijs referta. In Heluetia quidem montes primò asperos, & loca inculta veteris disciplina memoria, an amulatu, ijdem patres insedere. Ovinus quidem Lupicinus, & Romanus, Iurassum, montem inter Burgundiam, & Heluetiam limitarem, quem postremo ob viri, qui successit longo intervallo, præstantiâ, & dignitatem S. Claudij monte nunc vocant, eiusdem sancti, & aliorum miraculis insignem & modo etiam frequentem. Eiusdem montis partem prope mediâ, quæ ad Sequanos maxime pertinet, Germanus, & Ursicinus, alijque occupauerunt. Gallus verò, & Pirminius hic Augiam maiorem: ille Rheticis Alpibus vicina colenda suscepit. Non eodem quidem omnino tempore, sed tamen animo, ac spe. Alia postremo præclara alijs, diuersisq̃, auctoribus, locisque nata canobia. Ceterum nostram HEREMVM, siue Siluæ obscuræ solitudinem, MEGINRADVS eiusdem Insule Augiæ Monachus primò sanctitate, mox sanguine suo illustrauit, & consecrauit. De cuius ortu, vitæque pauca, tum vero successores, in primis DEIPARÆ MATRIS Sacelli calitus factam dedicationem, & inde miracula, quæq̃, subinde euenerunt, certis annis, cum curâ, & fide expediam. Etenim aut me sus-

cepti operis amor, & professio transuersum agit, aut nullus vs-
 piam Christiano in orbe alius locus neque Regina Calorū pra-
 sentia religiosior, neq. Antistitum nobilitate, & successione illu-
 strior, neque Pontificum, Imperatorū, & Regum, Principumq;
 priuilegiis, & beneficijs honoratior, aut postremo omnium prope
 nationum peregrinationibus frequentior, atq; miraculis est in-
 signior. Adeo alias aliis in locis sacras ades videtur summus il-
 le Architectus rerum omnium ab reliquis constitutas accepisse,
 & probasse: hanc, tanquam perpetuum sui amoris, & honoris
 erga matrem monumentum, & simul in genus humanum refu-
 gium, solatiumque sua veluti manu posuisse, stupendis signis, &
 incrementis insolitis fouisse, & ditauisse, omniumq; pene pro-
 uinciarum, & gentium cultu, & religione, & cōcursu celebrari
 voluisse: Verum multae in initio ab incepto retinebant. Ope-
 ris primo immensitas, & amplitudo, quippe quae septingente-
 simum longe excedat annum, tum Sacelli origo, & dignitas an-
 teahant satis explicata, & proinde, quae horum temporum in-
 sania est, an proteruia, forte pluribus vt inaudita, ita non
 apud omnes fidem habitura: sed praecipue memoriarum vete-
 rum, & actorum per tot clades, & incendia abolitio, & inopia,
 simul mea me tenuitas remorabantur. Sed rei difficultatē mox
 peruenit obediendi, & gratificandi tibi, AVGVSTINE Reue-
 rendissime, & Illustrissime, immensum desiderium, ac lata
 promittitudo. Et illa me facile probaturum, licet incredibilia,
 putabam, quorum fidem clarissimis, & toto orbe notissimis di-
 uina virtus quotidie confirmaret argumentis. Neminem ve-
 rò exacturum ex me, quae omnibus invidisset calamitas tem-
 porum. Postremo tua ope, tuo fauore, ac patrocinio, O BEATIS-
 SIMA VIRGO, & MATER, in cuius gloriam, & laudem hoc omne
 quidquid est operae datur, & impenditur, nihil arduum, nihil
 insuperabile existimaui. Verum si vniquam alias magnus pro-
 fecto hoc tempore historia vsus, magnum emolumentum, mona-
 sterijs praesertim, & sacri ordinis collegiis, quorum ortus, & in-
 stituta, & successiones, & priuilegia nosse, per has animorum,
 & religionum turbas, & dissensiones non modo vtile, & dele-
 ctabile, sed prope necessarium. Quando nō defuerunt, qui mo-
 nasteria,

*nasteria, & collegia veluti adflicta, & exhausta nobilitatis ho-
 spicia, & perfugia ab Regibus, & principibus condita, Mona-
 chorum, & Sacerdotum odio, prodere haut reueriti sunt. Ho-
 mines preposterii. Quasi maximorum regum ea cura maxime
 fuerit, quo profligatis, & perditis, qui ganea, manu, ventre,
 ludo bona patria lacerauissent, receptus esset, aut latebra. Et
 non potius in id animum intenderunt suum, ut quo maior eo-
 rum in terris facultas, & potentia erat, eo plura, & insigniora
 aduersus diuinam Maiestatem, cuius vicem implerent, & er-
 ga eos homines, qui sese diuino cultui, & famulatui addixissent
 totos, ceteraque omnia prae rerum immortalium amore, & de-
 siderio post haberent, vitamque in terris caelestem agerent, sua
 pietatis, & gratitudinis exempla, & monumenta essent, & su-
 perarent. Idque non solum ad praesentis, ut ferè loquun-
 tur, regni sui statum, sed ad aeternae beatitudinis praemium
 sibi profuturum crederent. Praclarè sane Caesar Henricus
 V. Non magnum est, carnalia nostra metere ijs, qui nobis
 spiritualia non cessant seminare. Oportet enim nos, qui su-
 mus carnales, quique sollicitudinibus huius mundi inserui-
 mus, spiritualium virorum orationibus commendare, praeci-
 pue his, quos, omnibus relictis, soli Deo Christo IESV cer-
 nimus vacare, per quos cum spiritualem sustentationem ac-
 cipimus; merito eis carnales consolationes, de quacunque re
 petierint, rependimus. Sed id genus absurditates, & ludibria
 confutare, neque nostri consilij; & cum laude alij presti-
 terunt. Imo vero quod in manu est, id,
 cum Diuis bene prosperantibus,
 iam exordiamur.*

